Medical Library

DUORUM

MONSTRORUM DUPLICIUM HUMANORUM

DESCRIPTIO ANATOMICA.

SPECIMEN INAUGURALE MEDICUM

QUOD

CONSENSU ET AUTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI SIBI

IN MEDICINA AC CHIRURGIA HONORES RITE CONCEDANTUR

DIE X. M. JANUARII A. MDCCCXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

AUCTOR

JOANNES WIRTENSOHN

MONASTERIO-GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS

F. SCHLEMM, MED. ET CHIR. DR.

C. H. EBERMAIER, MED. ET CHIR. DR.

E. GABLER, MED. ET CHIR. CD.

ACCEDUNT QUINQUE TABULAE AENEAE.

BEROLINI,

IN LIBRARIA MAURERIANA.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40152017_0031

VIRO

SUMME VENERANDO EXCELLENTISSIMO GENEROSISSIMO

FERDINANDO AUGUSTO A SPIEGEL

COMIT A DESENBERG ET CANSTEIN

ARCHIEPISCOPO DESIGNATO COLONIENSI, PRAELATO CATHEDRALIS MONASTERIENSIS, CANONICO CAPITULARI HILDESIENSI ET OSNABRUGENSI, POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS INTIMIS SUPREMIS, ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA IN CLASSE PRIMA EQUITI ETC. ETC.

SUMMO SUO PATRONO ET FAUTORI

HAS QUALESCUNQUE PAGELLAS

QUA PAR EST

VENERATIONE AC DEVOTIONE

D. D. D.

AUCTOR.

Quorum descriptionem hisce pagellis propono, monstra ambo, in museo universitatis Berolinensis jam per annos servata, ab Illustr. Rudolphi, praeceptore maxime colendo, mihi speciminis inauguralis argumentum quaerenti, ad disquisitionem anatomicam oblata sunt.

Quod monstrorum parentes, graviditatis rationes ipsumque partum attinet, nihil notitiae mihi contigit.

I.

Monstrum, prima tabula depictum, monocephalum, quadrumanum, quadrupes, sexus potioris, paene octomestre, secundum classificationem Cel. I. F. Meckel *) e loco copulationis constitutam secundo ordini, nimirum monstris a parte anteriore, adnumerandum est, et secundum Cel. Burdach **) recensionem monstrorum observatorum, secundo ordini, parasitis, formae primae, superficialibus, *B.* truncis *b.* brachiis et cruribus instructis.

Anteriori nimirum parti embryonis majoris ejusque perfectioris, a supremi pectoris media regione usque ad umbilicum, paulo sinistrorsum, corpus multo minus, capite et collo destitutum, solis trunci rudimentis artubusque superioribus et inferioribus praeditum, ita inhaeret, ut modo posterior trunci pars cum artubus in majoris embryonis superficie anteriore conspiciatur. — Infra connubium funiculus umbilicalis simplex, venam unam duasque arterias continens, in conspectum prodit. — Embryo major a planta pedis ad verticem usque tredecim pollices mensurae Rhenanae in longitudinem patet. Diameter capitis a mento ad verticem quatuor aequat polli-

*) Commentarius de duplicitate monstrosa. Halae et Berol. 1815. pag. 64. Path. Anatomie Bd. II. Abth. I. Leipz. 1816. pag. 53.

**) Sechster Bericht von der königl. anat. Anstalt zu Königsberg. 1823. pag. 39.

ces, a fronte ad occiput tres, ab altera aure ad alteram duos et dimidium. Pectoris latitudo duorum pollicum novemque linearum est, humerorum tres pollices et novem lineas, pelvis superioris duos pollices et quinque lineas adaequat.

Corporis majoris nulla est deformitas, nisi sinistrae partis faciei, cujus arcus maxillae inferioris complanatus et introrsum pressus, bucca et angulus oris sursum dimoti, frons supra glabellam longitudinalibus rugis munitus, et auris cartilago eum in modum incurvata est, ut paene meatum auditorium obtegat. Quam deformitatem a situ brachiorum corporis accessorii in utero effectam, censeo.

In collo nullum prodit duplicitatis vestigium. Manubrii sterni locum corporis accessorii initium, parum prominens minusque latum, tenet, sed, quo inferioribus partibus, eo magis elevatur e majori corpore, ita ut pelvis, fere ex toto libera, maxime prosiliat; quae et colem offert proportionatum, perforatum, scrotum testiculis vacuum et anum hiantem pendulum. Integumenta corporis accessorii continuantur corporis majoris integumentis colli et thoracis, nec non abdominis ab arcu ossium pubis illius inter hujus musculos rectos ad umbilicum descendentia. Praecipue ab iis corporis majoris eo discernuntur, quod nulli ipsis musculi subsunt. Nam corpus accessorium omnibus caret musculis, quin sphinctere ani, quorum locum tela solida adiposa tenet, fibris tendineis intertexta, ossa vero tam parce ambiens, ut macilentum habitum prae se ferat.

Cujus trunci compagem osseam modo ambae scapulae et ossa innominata, ad pelvim conjuncta, constituunt. Columna vertebralis et costae plane desunt, perinde ac systema nervorum spinalium, quorum defectui musculorum defectus certo adjunctus est. Nervos aliquot subcutaneos, ex colli plexubus brachia minoris corporis adeuntes, vidi, oculos ob tenuitatem mox praeterfugientes.

Sternum majoris embryonis a manubrio, solito latiore, ad processum ensiformem dimidiatum apparet. Utriusque dimidii margo externus lateris sui claviculam et verarum costarum cartilagines excipit, internis vero marginibus scapulae minoris corporis inmissae sunt, ligamentis adnexae, ita quidem, ut sinistra supra dextram jaceat. Utraque ad trianguli, paria crura habentis, figuram accedit, et anteriorem paginam cavo thoracis obvertit, sed marginibus et angulis a figura situque solitis valde discrepat.

Sinistrae scapulae margo internus, cartilagine obductus, superne locatus, inter manubrii sterni dimidia, marginis ejus superioris directionem tenet; valde convexus, reliquis brevior, duarum linearum crassitiem, sex modo linearum longitudinem offert. Circa superiorem angulum dimidio sterni manubrii dextro, circa inferiorem sinistro

ligamentis affigitur; reliquam superficiem cartilagineam obtegit corporis majoris ligamentum interclaviculare, sat magnum et firmum. Margo superior, dextro sterni dimidio oppositus, in inferiore parte tertia, eminentiam quandam et subter ea, qua caput humeri sinistri residet, incisuram offert semilunarem. Margo externus dextrorsum sinistro sterni dimidio obvertitur. Qui margines ambo acuti, paulum lunati, undecim paene lineas longi, deorsum convergunt ad partem scapulae articularem, capitulum cartilagineum referentem. Superficiei anterioris pars superior paulo concava est, media foramen, vasis nutrientibus inserviens, solito majus, offert, inferior inaequalis, protuberantia insignitur. Superficies, a cavo thoracis aversa, posterior, per spinam scapulae, a medio margine interno ad partem articularem descendentem, in duas diducitur partes aequales, vix lacunatas. Processus coracoïdeus et acromium plane desunt. Sinistrae scapulae longitudo, a medio margine arcuato interno, qui hic est superior, ad partis articularis capitulum, unius est pollicis atque lineae.

Haec scapula, et figura et processuum defectu, praecipue accedit ad similitudinem equi caballi scapulae.

Scapula dextra, latior et brevior, respectu marginum et paginarum eundem tenet situm, verumtamen, quum angulus superior et inferior inter sterni dimidia, e regione utriusque costae tertiae cartilaginum, ligamentis jungantur, inferior est sinistrâ, eum scilicet in modum, ut sinistrae pars inferior articularis in posteriore dextrae superficie infra medium marginem internum, sursum versum, cartilagine molliore instructum, et super initio spinae tela tendinosa nectatur. Margo internus, circa medium excisus, octo linearum longitudinem et vix unius et dimidiae crassitiem exhibet. Margo superior versus sinistrum sterni dimidium, externus vero dextrum versus spectat; ambo, novem lineas longi, paulum concavi, in partem articularem, capitulo cartilagineo quoque munitam, convergunt, quae inter longe a se distantia processus xiphoïdei dimidia fluctuat. Superficies anterior laevis est et plana, posterior etiam quadam spina, in ejus medio elevata, infra partem articularem sinistrae scapulae, dimidiatur; infra medium marginis interni parva conspicitur eminentia. Processus coracoïdeus et acromium non minus desunt. Hujus scapulae longitudo, a margine interno ad partem articularem, octo lineas aequat.

Partes articulares harum scapularum, deorsum conversae, cavitate glenoïdali carent; sed in dextrae seu inferioris scapulae superficie posteriore, infra marginem internum, sursum conversum, capita humerorum, dextri nempe juxta superiorem, sinistri

juxta inferiorem angulum, et quidem in parvis foveis glenoïdeis affiguntur ligamentis. Praeterea humeri sinistri caput incisurae marginis superioris sinistrae scapulae alligatur.

Brachia ambo ante corporis majoris sinistrum pectoris latus usque ad ejus cubitum pendent; inaequabiliter deformia, ad articulum humeri et cubiti tumida, parumque mobilia, praeprimis recta extendi nequeunt. Brachium sinistrum majus est minusque a norma recedit. Ejusdem cubiti articulus plica cutanea, a scapula et humero per fossam cubitalem usque ad mediam antibrachii partem anteriorem descendente, valde flexus tenetur. Manus et digiti ad latus radiale sunt conversi, index digitorum longissimus, cui pollex digiti alius ad instar adjacet, digitus annularis et auricularis volae manus insident.

Similis plica cutanea articuli cubiti brachium sinistrum minus flexum tenet. Antibrachii focilia per synostesin ad unum os, magis cylindraceum, uniuntur. Manus deformis (Klumphand) non infra ossa unita fossae articulari insidet, sed acuto angulo sursum versa, anterius et internum ossis antibrachii latus ita tenet, ut digiti constipati cubitum attingant. Constructa est carpo tumido, quatuor metacarpi ossibus et quatuor digitis; pollex cum suo metacarpi osse deest.

Spatium inter scapulam dextram et pelvim breve, deficientibus columna vertebrali et costis, solis partibus mollibus expletur.

Pelvis solis ossibus innominatis conditur, osse sacro et coccygis deficientibus, faciebus articularibus ossium iliûm per synostesin ita junctis, ut unum os efficiant. Quam ob rem pelvis est figurae abnormis, utrinque compressa, in parte posteriore corporis minoris sub angulum acutum prosiliens. Aperturae inferioris pelvis minoris diameter transversus, ab altero ossis ischii tubere ad alterum, vix duas lineas cum dimidia aequat; diameter rectus vero hujus aperturae a symphysi ossium pubis ad inferiorem synostesis ossium iliûm partem, ob ossis coccygis defectum justo major, novem lineas superat. Ossium innominatorum altitudo, a tubere ossis ischii usque ad summam ossis iliûm pectinis partem, decem et dimidiam patet lineam, latitudo ossis iliûm, a spina anteriore superiore usque ad synostesis locum spinae posterioris superioris, octo et dimidiam, spinarum anteriorum superiorum distantia septem et dimidiam lineam aequat. Figura ossium solita est, si defectum spinae ischiadicae excipias; non minus ligamentum spino-tuberoso-sacrum desideratur. Acetabula, bene conformata, ad partem posteriorem magis conversa, modo sex lineas et dimidiam invicem distant.

Fabrica et magnitudo artuum inferiorum minus a norma deflectunt. Femora directionem acetabulorum horizontalem sequentia, extrorsum distenta, ante utrumque abdo-

abdominis latus majoris foetus jacent; genuum articuli adeo sunt inflexi, ut calces attingant podicem. Qui positus utriusque femoris efficitur partibus mollibus, a lumbis ad externam ejus partem strictius descendentibus, utriusque cruris vero coalitione partium mollium posterioris crurum et femorum paginae, ita ut cutis a superiore tertia parte femoris infra suram transgrediatur ad crus.

Patellae ambae desunt.

Sequentes adjicio corporis accessorii dimensiones: Longitudo trunci, a suprema inde parte ad anum usque pendulum, duos pollices et octo lineas, longitudo connubii, quod utriusque corporis partes molles subeunt, duos pollices et novem lineas, latitudo infra majoris corporis collum septem lineas et dimidiam, supra pelvim, maxima, pollicem unum cum dimidio, prope umbilicum communem quatuor modo lineas adaequat. Longitudo humeri sinistri duos pollices habet, antibrachii sinistri unum pollicem et octo lineas, manus sinistrae unum pollicem et duas lineas, dextri humeri duos pollices, antibrachii dextri unum pollicem et duas lineas cum dimidia, manus dextrae pollicem unum et lineam, utriusque femoris duos pollices et lineas tres, cruris duos pollices, pedis pollicem unum et dimidium.

Abdominis cavum utriusque corporis continuum est, solitis majoris corporis partibus praecipue conditum, siquidem modo supra umbilicum corporis minoris pelvi et partibus mollibus, inter musculos rectos immissis, quarum hae inferiorem dextrae scapulae partem obtegunt, clauditur. Non minus peritoneum continuum utriusque corporis systema chylopoëticum duplicaturis investit. — Sub communi diaphragmate primum in conspectum prodit ingens hepatis moles, a sinistro hypochondrio ad dextrum, ab hoc ad os iliûm usque porrecta. Sin curatius intuearis, duo reperies jecinora, unum superius transversim locatum, alterum descendens, utrumque in dextro hypochondrio combinatum. Hepar superius ob situm transversum majoris corporis esse videtur, attamen volumine cedit descendenti, quod dextra positum, plurimam abdominis dextri partem adimplet, ab hypochondrio dextro pone abdominis involucra utriusque corporis ante corporis majoris renem dextrum ad pelvim usque descendens.

Hepar transversum superficiem convexam obvertit diaphragmati, cui ligamentis, suspensorio, venam umbilicalem non continente, et coronario solito adnectitur. Margo ejus anterior, deorsum versus, profundam offert incisuram, quae in inferiore superficie in fossam abit longitudinalem, et hepar istud in duos dividit lobos, sinistrum minorem, dextrum majorem. Reliquae fossae superficiei inferioris desunt; per longitudinalem illam propius a margine anteriore, arteria hepatica et vena portarum hepati immit-

tuntur. In incisura autem ipsa lobo dextro adnexa est vesica fellea oblonga. Ductus cysticus jam prope vesicae collum cum duobus ductibus hepaticis coit, quorum major ex utroque lobo, minor e dextro ortum ducit. Ductus choledochus, inde natus, paene recta sinistram descendentis duodeni partem petit.

Hepatis descendentis superficies convexa antrorsum et dextrorsum spectat concavitatem costarum spuriarum et musculorum abdominalium. Mediam ejus partem a pariete abdominis peritonei plica adit, ligamento suspensorio analoga, in utriusque hepatis angulo ligamento hepatis transversi coronario continua, in margine inferiore venam umbilicalem continens, quae, huc flexa, superficiem convexam mediam hepatis intrat. Margo hoc in exemplo anterior, sinistrorsum conversus, sub rectum angulum cum margine anteriore hepatis transversi convenit; obtusus ideoque non absimilis est margini dextro. Margo inferior, anteriori consentaneus, profunda insignitur incisura, in superficie, ad inferiorem respondente, quoque in fossam longitudinalem abeunte, qua et hoc hepar in duos dispescitur lobos, anteriorem majorem, posteriorem, columnae vertebrali adpositam, minorem. Superficies hepatis plana, sinistrorsum et retrorsum conversa, memoratam fossam longitudinalem singulam offert. Prope ad marginis anterioris incisuram majori lobo adfixa est vesica fellea, cujus ductus, oblique sinistrorsum et introrsum adscendens, cum ductu hepatico solito conjungitur. Ductus choledochus, inde ortus, ante mediam columnam vertebralem in latere posteriore partem duodeni descendentem petit, segregatus ab altero superiore. In fossa longitudinali observantur arteria hepatica, ex meseraica superiore majoris corporis orta, vena portarum, minor ea alterius hepatis, commerciumque habens cum vena umbilicali proveniente, ex qua ductus venosus solito loco sub diaphragmate venam cavam adit. Hepatum, in dextro hypochondrio, circa marginem dextrum transversi et posteriori consentaneum descendentis, intime nuptorum, venae non omnino conjunctae sunt; ex transversi nimirum superficie convexa vena provenit, diaphragma perforans, in infimam atrii sinistri partem sese insinuans; descendentis vero hepatis venae omnes super ductu venoso sub diaphragmate venam cavam petunt.

Ventriculus, duodenum et intestini tenuis maxima pars simplices sunt. Ventriculus suum sibi vindicat hypochondrii sinistri locum, obtectus transversi hepatis lobo sinistro. Juxta ventriculi fundum lien residet normalis, praeter quem in angulo hepatum supra pylorum, dimidiae magnitudinis corpus lobatum, et colore et textura lieni simillimum, deprehenditur. Ventriculo, transversim a dextra ad sinistram, ante columnam vertebralem, subditum est pancreas normale, cujus ductus Wirsungianus

duodenum intrat propius a ductu choledocho hepatis transversi. Duodenum tres exhibet gyros suos, quorum superior hepatum angulum tangit, in descendentem, uti jam monuimus, ductus pancreaticus et uterque ductus choledochus effunduntur, unus hepatis transversi in latere sinistro, prope modum ad caput pancreatis, alter hepatis descendentis potius in latere posteriore ante columnam vertebralem. Intestini tenuis pars superior, maxima, gyris diversis curvata, sub hepate transverso, juxta hepatis descendentis sinistram, simplex est, inferior autem singulis competit corporibus, utraque in intestinum proprium crassum abit. Ex angulo utriusque inferioris intestini tenuis verum prodit diverticulum, peritonaei ope umbilico affixum ibique obrotundo-clausum. Intestinum tenue inferius, corpori majori proprium, pollices aequat octo et dimidium. Intestinorum ejusdem crassorum fabrica quidem normam sequitur, sed situs eorum descendente hepate ita mutatur, ut colon adscendens in media abdominis linea jaceat.

Accessorii corporis intestinum tenue proprium, quinque pollices et novem lineas longum, minoris est diametri quam majoris corporis. Ad sinistram hepatis adscendentis sursum tendit, usque ad hepatis utriusque angulum, ibique peritonaei duplicatura, mesenterii ad instar, munitur; dein curvatum ad minoris corporis pelvim in intestinum crassum abit, quod multo minori praeditum diametro, quam majoris corporis, novem pollices habet, praeter rectum, convolutumque in pelvi corporis accessorii, ante jecinora, jacet, et recto, anum apertum offerente, terminatur.

Organa sexualia et uropoëtica corporis majoris nil notatu dignum exhibent, si ab eo discedas, quod renis dextri extremitas inferior, ob hepar descendens, in interiore ossis iliûm facie deprehendatur. Urachus inter arterias umbilicales solito modo umbonem petit, ad vesicae fundum obturatus. Uterque testis internae canalis abdominalis aperturae proximus est.

Verumtamen corporis accessorii renes in unum coaluere planum et oblonge rotundum, cujus diameter longitudinalis pollicem unum, transversus novem lineas et crassities quatuor aequat lineas. Ante ossa iliûm copulata, pone vasa majora hicce ren positus est in pelvi. Superficies magis plana posterior renculorum coalitorum sulcos, et juxta marginem sinistrum duas offert hydatides, propria renum tunica incrassata obductas. In facie anteriore paulo convexa duo notantur hili, substantia corticali segregati; utrumque petunt duae arteriae, ex quovis proveniunt vena et ureter. Ureter sinister, lineam cum dimidia amplus, dextrum altero tanto, et quod excedit, superat; ambo novem lineas longi, jam in corporis vesicae urinariae latera sese intmittunt. Vesica urinaria ipsa figurae est oblongae, ita ut in fundo pedetentim coarc-

tata, coni more in urachum transeat, tertia longitudinis parte apertum, qui a symphysi ossium pubis ad umbilicum descendit. Renes succenturiati, quoque substantia copulati, tanquam duo lobuli convoluti longe supra renes juxta hepatum connubium, ante vasa corporis accessorii majora locati sunt.

Organa sexualia minus evoluta sunt iis majoris corporis. Testes, utrinque renum conflatorum positi, oblongi, ovales, vix magnitudinem secalis seminum aequant, dexterque ob exiguum parenchyma flaccidus est. Ad utrumque testem e canalis abdominalis regione gubernaculum Hunteri adscendit; vasa deferentia vero, deorsum flexa, posteriorem vesicae partem inferiorem petunt. —

Cavum thoracis simplex et quascunque continet partes, omnes fere sunt corporis majoris. Cingitur tanquam crate ossea, posterior nempe pars corporis majoris columna vertebrali, latera costis, et anterior pars diviso sterno, cartilagines costarum et claviculam externis marginibus excipiente, denique inter ejus dimidia inmissis corporis accessorii scapulis; quae autem hic remanserunt interstitia, tela explet tendinosa. A parte inferiore clauditur diaphragmate, usque ad partes sterni musculoso, cujus vero pars corporis accessorii, ad anteriorem dextrae ejus scapulae faciem adscendens, infra ejus marginem internum, hic superiorem, adfixa, modo membranosa usque ad speculum Helmontii invenitur. Praeter aperturas tres solitas alia dicata exstat transeunti hepatis transversi venae, alia aortae, alia venae cavae adscendenti corporis accessorii. Denique per fibras praeter ordinem quoque ramus arteriae phrenicae inferioris sinistrae major pulmonem petit. — Pleura, totum thoracis cavum investiens, non retroflexa est ab utroque sterni dimidio ad mediastinum conformandum, sed modo pone dextrum, ita ut ejus saccus sinister longe sit major dextro et mediastinum anterius dextri lateris spatium occupet.

Organa, thoracis cavo inclusa, pulmones sunt et cor unum; thymus autem minime, ut solet, pone sternum et ante vasa majora mediastini anterioris partem superiorem obsidet, sed semilunaris in collo positus est, et glandulam attingit thyreoïdeam, cui per telam cellularem est adnexus, ita, ut neutiquam aortae arcum, sed modo arteriae asperae partem mediam et circa ejusdem latera carotides obtegat. Duobus constituitur lobulis majoribus, dextro oblongo, duobus incisuris subdiviso, cujus extremitas sinistra et inferior tracheam obtegit, sinistro, ad latus tracheae sinistrum sito atque tela aliqua cellulari istius extremitati sinistrae adnexo. — Glandula thyreoïdea, suum tenens locum, longe est minor, quam sanis hujus aetatis foetubus contingere solet.

In duobus pleurae saccis tres inveniuntur pulmones separati, dexter dextro, sinister et medius sinistro inclusi sacco. Dexter pulmo, tribus constitutus lobulis, situ cordis retrorsum trusus, anteriorem thoracis partem non tangit. Sinister, duos offerens lobulos, ad dextrum columnae vertebralis latus suum explet pectoris spatium. Utrovis minor medius unum exhibet lobulum triquetrum, ab altero latere ad alterum oblongum, cui tres sunt superficies: superior, magis antrorsum versa, convexa, inferior concava, posterior plana. Posterior ejus facies posita est ante columnam vertebralem et oesophagum, extremitas superior sub vasis sanguiferis et broncho pulmonis sinistri, superficies inferior tanquam basis diaphragmati incubat, et sinistra ejus extremitas pulmonem tangit sinistrum, dextra pericardium. Dimensio hujus pulmonis, ab uno latere ad alterum, maxima, octo lineas aequat, crassities quatuor lineas cum dimidia, altitudo quatuor lineas.

Trachea, uti solet, descendens post vasa majora in cavum thoracis, in tres finditur ramos, duos nimirum laterales, dextrum et sinistrum adeuntes pulmonem, unum vero medium, ad parvum pulmonem medium demissum. —

Oesophagus plane normae congruit.

Pericardium, cor cingens, totum jacet in dextra pectoris parte, et a basi, diaphragmati adfixa, oblique sinistrorsum ad aortam ascendentem erigitur. Anterior ejus superficies apposita est dextro sterni dimidio et superiori corporis accessorii scapulae, posterior a parte anteriore dextrum contegit pleurae saccum.

Cor sensu strictiore fere ovi Tringae Vanelli offert figuram, et mucronis loco inferior pars, dextrorsum conversa, crassa et globata est, apex autem, sinistrorsum et sursum directus, aortae originem praebet. Quae in diaphragmate posita est inferior pars, parum apparet complanata, anterior vero, multo longissima, est convexa. Margo cordis, alias posterior et sinister, hic est anterior, valde rotundatus; dexter non minus rotundatus, idcirco posterior, ante dextrum jacet pulmonem. Atrium sinistrum oblongum, paene medii anterioris pectoris spatium contra columnam vertebralem occupat, et tres offert auriculas, quarum major laciniata, in anteriore cordis strictius dicti superficie ad dextram jacet, reliquae vero parvae ad sinistram spectant. Atrium dextrum, seu anterius, hic posterius, ante dextrum pulmonem juxta columnam vertebralem situm, corde stricte dicto obtegitur, nisi quod auricula singula ac solita in dextra istius parte superiore conspiciatur. Cor apertum modo unum offert ventriculum, ejusdem figurae, ac notata est externa. Tribus ille gaudet ostiis, uno venoso, e dextro ducente atrio, valvulis tricuspidalibus instructo, duobus arteriosis, aortico et pulmonali,

quorum hoc supra valvulam ostii venosi superiorem, sub ponte carneo, paulo descendente, et tanquam vestigium ventriculorum septi indicante, incipit. Hocce ostium, ratione alius habita, valde angustum, vix unius est lineae. Plica tunicae interioris quaedam in ipso tenditur, rimamque relinquens transversam, duas modo valvulas proponit. — Arteriosum aortae ostium, supra istum pontem carneum, magis in anteriore et superiore ventriculi parte, tribus gaudet valvulis semilunaribus.

Atria, teneris parietibus praedita, unum modo offerunt cavum, cum eorum septum plane desit, et tantum annulo tendineo coarctante indicetur, in quo omne valvulae foraminis ovalis vestigium, aeque ac valvula Eustachii, plane deest. Aditus ad ventriculum modo unus in atrio dextro juxta istum annulum tendineum observatur, uti supra posuimus.

Quibus dictis elucet, cordis fabricam minus esse excultam, et prope ad eam piscium et batrachiorum accedere.

Arteriae pulmonalis truncus, valde exiguus, pone aortam, ante tracheae divisionem situs est, quem ductus Botalli arteriosus plane deficit. In duos dividitur ramos cardinales, quorum dexter, sinistro, sinistrum pulmonem transversim adeunte, altero tanto major, ab initio ramum ad pulmonem medium demittit, dein ad dextram conversus, dextram petit pulmonem.

Quinque adsunt venae pulmonales, dextri pulmonis duae, duae sinistri, una medii, quae singulae aperiuntur in atrium sinistrum.

Aorta a dextra ascendit, et in arcum flectitur, ad sinistram, broncho sinistro circumfusa, descendens ad normam decurrit in mediastino posteriore. Ex aorta adscendente supra valvulas in pericardio duae proveniunt coronariae cordis, et, quae sinistro prospicit atrio, arteriola quaedam. Truncus anonymus desideratur; primum ex arcu aortae carotides communes, brevi trunco unitae, oriuntur, quarum dextra arteriam vertebralem dextram edit. Dein ex sinistra arcus parte prodit in solitae magnitudinis subclavia sinistra, quae, ramis vulgaribus sparsis, post musculos scalenos in duos dividitur truncos, quorum alter, parum minor, per scalenos transiens, axillarem sinistram exhibet, alter vero major, ad manubrii sterni marginem externum sese confert, uti mammaria interna. Quo loco, ramulo demisso minore, mammaria scilicet interna, ad accessorii corporis scapulam superiorem continuatur, illiusque aortam refert. Degressa usque ad scapulam inferiorem, duas emittit arterias, brachiis prospicientes. Dein per diaphragma, ibi adnexum, transmissa, minores communicat ramulos cum unitis renibus succenturiatis et corporis accessorii intestino tenui, in hepatum angulo

sito; eadem edit arteriam meseraicam, quae, super arteriis renalibus orta, superior potest haberi, licet toti provideat intestino crasso. Inferius ante renes unitos quatuor prodeunt renales, quae binae utrumvis petunt hilum. Priusquam truncus cardinalis in utramque arteriam iliacam diducitur, ex anteriore ejus parte una oritur arteria epigastrica, quae quidem juxta urachum ad umbilicum descendit, verumtamen per corporis accessorii integumenta abdominalia distribuitur. Utravis arteria iliaca dividitur in cruralem minorem, anteriori modo femoris parti prospicientem, et in hypogastricam, multo majorem, quae, sparsis intra pelvim ramulis, tanquam arteria ischiadica continuata et e pelvi progressa, uti in avibus in posteriore femoris parte decurrit ad poplitem, et poplitaea, cruri ramos impertit.

Hunc igitur in modum ex arteriae majoris corporis subclaviae sinistrae ramo, mammariae internae respondente, totum exoritur corporis accessorii systema arteriarum.

Majoris corporis subclavia dextra nonnullas lineas infra sinistram provenit ex interno et postico aortae descendentis latere, et inter columnam vertebralem et oesophagum ad dextrum transgressa latus, si excipias arteriam vertebralem, e carotide dextra ortam, solitos edit ramos. Paulo inferius ex anteriore aortae descendentis parte arteria progreditur bronchialis magnitudinis insolitae, sinistrum petens pulmonem, cujus arteria pulmonalis justo longe exilior est.

Editis arteriis intercostalibus, aorta, per hiatum diaphragmatis demissa, notatu dignam offert arteriam phrenicam sinistram magnam, quae reni succenturiato et diaphragmati prospicit, eoque perforato, ad pulmonem medium ascendit et ibi distribuitur.

Denique repeto, coeliacam ramum subgerere hepati transverso, neque non lieni accessorio, in angulo hepatum sito, et meseraicam superiorem hepati descendenti ramum tribuere. Reliqua arteriarum disseminatio plane normae obsequitur.

Venarum trunci, in atrium dextrum confluentes, duo quidem sunt, sed superior modo truncum venae jugularis et subclaviae anonymum dextrum sistit, qui venae cavae superioris ad instar, ante bronchum descendit, azygeam excipiens. Subclavia dextra partium superiorum corporis accessorii venas suscipit. — Vena cava inferior, receptis ductu venoso et hepatis descendentis venis, solito more transit per diaphragma et in atrium dextrum se insinuat. Praeter notatas quinque venas pulmonales sinistrum petunt atrium tres quoque venae majores. Alia, descendens ante sinistrum bronchum, truncus est venarum jugularis et subclaviae sinistri lateris, superiorem atrii partem ingrediens. Quae per diaphragma transeunt, altera est vena accessorii corporis cava inferior, quae, venis artuum inferiorum et pelvis constituta, organorum sexualium

et uropoëticorum venas, nec non intestini imperfecti, recipit, ante hepar transversum, per membranosam diaphragmatis partem, transit et in inferiorem et anteriorem atrii sinistri partem inmittitur; altera vero, vena transversi hepatis, ad sinistram et anteriorem venae majoris corporis cavae inferioris partem, per diaphragma posteriorem inferiorem atrii sinistri extremitatem petit.

TABULARUM PRIMAE ET SECUNDAE EXPLICATIO.

Tabula prima.

Monstrum ante dissectionem delineatum a parte anteriore.

Tabula Secunda.

Fig. 1.

Thorax et abdominis pars superior, secundum conjunctionem corporis accessorii cum sinistra majoris corporis parte, aperta et distenta. Corporis accessorii partes, ad dextram majoris positae. Intestinum tenue, ex angulo hepatum semotum, et hepar descendens ad dextram elevatum. Thymus de collo resectus.

a. a. a. Larynx, trachea et bronchus sinister.
b. Pulmo sinister.
c. Pulmo medius accessorius.
d. Lobulus superior pulmonis dextri.
e. Diaphragma.
f. Hepar transversum.
g. Ejus vesicula fellea.
h. Hepar descendens.
i. Ejus vesicula fellea.
l. Intestina.
m. Corporis accessorii renes succenturiati copulati.
n. Scapula ejusdem sinistra, seu superior.
o. Humerus ejus dexter.
1. 1. Ventriculus cordis.
2. Atrium sinistrum, tribus auriculis instructum.
3. Auricula atrii dextri.
4. Aorta.
5. Arteria coronaria sinistra.
6. Arteriola quaedam, tela cellulari adhuc obducta, ex aorta ad atrium sinistrum tendens.
7. 7. Ambae carotides communes, brevi trunco ex aortae arcu orientes.
8. Arteria vertebralis dextra e carotide communi orta.
9. Arteria subclavia dextra, ab aorta descendente edita, inter vertebras et oesophagum transgressa ad latus dextrum.
10. Arteria subclavia sinistra.
11. Ejus ramus communis.
12. Arteriae mammariae internae et
13. 13. 13. 13. Arteriae nutrientis s. aortae corporis accessorii.
14. Hujus arteria axillaris dextra.
15. Arteria ejusdem renum succenturiatorum copulatorum.
16. Arteria ejus intestini tenuis, in angulo hepatum siti, hinc semoti.
17. Vena jugularis dextra.
18. Vena subclavia dextra.
19. Earum truncus anonymus.
20. Vena cervicalis quaedam descendens, trunci anonymi posterius latus petens.
21. Vena jugularis sinistra.
22. Vena subclavia sinistra.
23. Earum truncus anonymus.
24. Vena hepatis transversi.
25. Vena cava inferior corporis accessorii.
26. Arteria pulmonalis.
27. Ramus pulmonalis sinister.
28. Ramus pulmonalis arteriae phrenicae inferioris sinistrae.
29. Vena pulmonalis sinistra.
30. Nervi vagi.

Fig. 2.

Ventriculus cordis, in anteriore facie apertus.

a. Ostium venosum.
b. b. b. Valvula tricuspidalis.

c. Septi

c. Septi ventriculorum vestigium.
d. Ostium arteriosum pulmonale.
e. Ostium arteriosum aorticum.
f. Valvulae semilunares.

Fig. 3. Diverticulum verum umbilicale.
a. Umbilicus.
b. Coecum cum processu vermiformi corporis majoris.
c. Coecum cum processu vermiformi corporis accessorii.
d. Intestinum tenue commune.
e. Intestinum tenue, corpori majori proprium.
f. Intestinum tenue corpori accessorio proprium.
g. Diverticulum verum umbilico adfixum per peritonaeum.

II.

Monstrum alterum, in tertia et quarta tabula depictum, biceps et bicorporeum, octomestre, masculum, non minus juxta Cel. I. F. Meckel classificationem ad secundum pertinet ordinem (v. l. c.) secundum Cel. Burdach ad secundum ordinem, formam primam, *C.* corpora *a.* adsidentia (l. c. pag 41).

Anteriori nimirum superficiei embryonis majoris, perfectius evoluti, in abdomine corpus minus solis partibus mollibus ita adnectitur, ut connubium totam illius regionem umbilicalem et epigastricam stricte dictam obsideat, neque non usque in sinistram regionem hypochondriacam et iliacam porrigatur. Connubium utriusque corporis fit per saccum, integumentis externis et peritonaeo conditum, eumque exomphalum; in anteriore et inferiore ejus parte adeo tenui, ut intestina parum transpareant, conspicitur nmbilicus, quem funiculus, unam continens venam duasque arterias, intrat. Exomphalus juxta utrumque corpus annulo tendinoso musculorum abdominis terminatur; longitudo ejusdem pollicem unum et dimidium patet, vixque minor maximus ejus est diameter.

Amborum embryonum facies non, uti solent, sibi obvertuntur, sed eandem spectant directionem, paulo ad dextram conversae.

Embryo major, a planta pedis ad verticem, quatuordecim pollicum longitudinem habet; reliquae dimensiones proportionatim fere normam sequuntur. Notandum adhuc est, eum esse macilentum, caputque in dextra praeprimis parte sugillationes induxisse, quo fit, ut hujus integumenta tumida tendantur, linguam ex ore adaperto porrigi, labiaque prominere.

Embryo minor caput perfectius, majoris capiti quoad magnitudinem aequale, cujus figura globosa et fonticuli ampli hydrocephalum produnt, collum breve, crassum,

ut ita dicam, suffarcinatum, et truncum, diametrum vix colli habentem, contortum et curtum, cum artubus imperfectis dextris, superiore nimirum et inferiore, offert. Exomphalus copulans fere per totam trunci partem anteriorem a regione hypogastrica ad medium pectus usque extenditur. Infra eum, juxta femur dextrum, scrotum vacuum, tanquam plica cutanea crispula, animadvertitur, sed sine omni penis et urethrae vestigio. Non minus quodvis ani indicium in nate impari deest.

Ossa trunci propria haec inveniuntur: columna vertebralis, octodecim vertebris veris et quatuor spuriis, seu sacralibus, constructa, duodecim costae, utriusque lateris nempe sex, sternum curtum.

Columna vertebralis, in arcum curvata, cujus convexitas dextrorsum spectat, ingentem offert scoliôsin dextram, simulque eum in modum circa axin est torta, ut processus spinales ossis sacri in latere sinistro sursum emineant. Cervicis vertebrae septem, thoracis modo sex, lumborum quinque et ossis sacri quatuor numerantur; ossa coccygis plane desunt. Thoracis vertebrae ambae supremae invicem coaluerunt, aeque ac ambae lumborum infimae. Os sacrum faciebus articularibus totis non adnectitur ossi iliûm, et inferior éjus pars obtusa incisurae ischiadicae insidet.

Sex costarum sinistrarum una modo est vera, cum sterno per cartilaginem longam, geniculatim sursum flexam, juncta; dextrarum verumtamen tres sunt costae verae. Costae omnes a tergo antrorsum descendunt, ut inferiores in regiones iliacas alte porrigantur, et thoracis crates a parte anteriore deorsum pressa conspiciatur. Ob scoliôsin costae lateris sinistri tegularum instar sibi impositae sunt, quin adeo prima et secunda in medio coaluere.

Sternum curtum, manubrio tantum et corporis rudimento constitutum, ad dextram magis dimotum, figuram imitatur trapezii parallelarum basium, quarum major est margo dexter, cum tribus costarum cartilaginibus et clavicula junctus, brevior vero margo sinister, unius modo costae cartilaginem et claviculam excipiens, sub quo sternum perinde ac dextrorsum oblique resectum apparet. Dextri marginis longitudo pollicem patet, sinistri quinque lineas, latitudo manubrii sex lineas aequat.

Propter quam costarum et sterni compagem thorax a parte anteriore et sinistra solis partibus mollibus clauditur.

Ossa artuum, trunco opposita, sunt: duae scapulae, duae claviculae, unum os innominatum.

Scapula sinistra os aemulatur oblongum, paene teres, sicuti clavicula, neque immerito ob figuram cum scapula (secundum denominationem Illustr. Rudolphi) testu-

dinis comparari licet. Pars, spinae dorsi obversa, paulo latior, margini interno respondens, cartilagine obducitur, circa quam in superiore parte prominentia obtusa, altera in inferiore, tanquam vestigia anguli superioris et inferioris, observantur. Pars, cum clavicula ligamentis intime nexa, capitulum offert cartilagineum. Hic potissimum evoluta esse videtur scapulae spina, quae per acromium claviculae insitioni inservit. —

Clavicula normalis cum hac scapula sub angulum acutum conjungitur, qui ob scoliôsin sursum motus, in collo, infra processum mastoïdeum, sub integumentis prosilit. Verumtamen clavicula circa medium a costa prima, ob ejusdem descensum, longius, nimirum tres lineas, distat. —

Omnia brachii sinistri vestigia desiderantur.

Scapula et clavicula dextri lateris normam sequuntur; sed clavicula hic multo longius a prima costa, nimirum pollicem dimidium, abest.

Os humeri a solita fabrica non recedit, nisi processu cubitali, qui, deficiente trochlea, loco capituli in parte anteriore foveam glenoïdeam offert. —

Antibrachium tenuius, pro manu unum modo digitum commonstrat. Cubiti articulus, quod partes humeri et antibrachii molles super cubiti flexura coaluere, integumentaque fere a medio humero immediate ad antibrachium continuantur, ita flexus tenetur, ut digitus, sursum directus, humeri articulum tangat.

Antibrachio unum modo os subest, nempe radius, qui, cavitate glenoïdea non efformata, aliquatenus per partem circumferentiae articularis posteriorem foveae glenoïdeae humeri ligamentis adjungitur. — Radii inferior pars articularis rotundum offert capitulum, in quo duo ossa carpi, sibi imposita, figurae cylindraceae, unum os metacarpi et duae phalanges exsurgunt. Qui digitus ob numerum phalangum et insigne metacarpium pollici aequiparari debet.

Os innominatum impar respectu figurae et magnitudinis a norma vix deflectit, tuber nonnisi ossis ischii solito est major et crassior, spina ischiadica desideratur, quapropter incisura ischiadica major a minore non separatur. — Verumtamen conjunctione ejus et ossis sacri, plane insolita, pelvis quodammodo conditur. Os innominatum nempe infra et ante obtusam ossis sacri partem inferiorem fere transversim jacet, cum facies articularis ossis iliûm, justo minor et inferior, faciei laterali dextrae duarum inferiorum ossis sacri vertebrarum ligamentis affigatur, incisura ischiadica ipsi corpori infimae ossis sacri vertebrae adnectatur, et tuber ossis ischii eminens brevi ligamento tuberoso-sacro cum sinistra facie laterali duarum inferiorum ossis sacri vertebrarum vinciatur.

Quem situm si ad caput referas, os innominatum, per paulo declivem transversamque inferioris vertebrarum columnae directionem, adversam offert positionem, a sinistra ad dextram, ita, ut acetabulum, deorsum et sinistrorsum, interna dextri femoris pagina imo partim postica, antrorsum spectet.

Quam ob rem, et quod femur incurvatione dorsi ad caput propius accessit, primo obtuitu artus dexter inferior cum sinistro superiore facilius permutatur.

Femur est normale; pro crure modo pars tibiae articularis, in coni apicem abiens, adest, quae flexa prominet. Patella deest. —

Ob commercium utriusque corporis per exomphalum, cavum abdominis unum est commune, quod utriusvis diaphragmate a thoracis cavis segregatur, tribusque constituitur partibus: abdominis cavo majoris corporis, cavo exomphali et recessu minore ad truncum corporis minoris. Idcirco unum modo est peritonaeum, variis duplicaturis intestina obducens.

In exomphalo communi transversim locatus est corporis minoris ventriculus, ad ingentem intestinorum saccum expansus, tribus ostiis munitus, quorum duo in curvatura minori, tertium in majoris curvaturae parte inferiori dextra reperiuntur. Fibrae musculares circa minorem modo curvaturum inter utrumque ostium superius discerni possunt, reliqua sacci pars tenuem offert membranam, inprimis circa expansam curvaturam majorem. Ostium sinistrum, minori corpori obversum, cardia est, in quam dilatatus inmittitur ejusdem oesophagus, non pharyngis continuatio, sed tracheae, infra divisionem in bronchos, quod initium annulis tracheae cartilagineis destituitur, cum solitae tunicae modo detegantur. Oesophagus per hiatum diaphragmatis proprium transit, et pollicem cum dimidio longus, peritonaeo obductus, oblique dextrorsum, per angustum corporis minoris recessum in exomphalum, saccum petit ventricularem. Ostium dextrum, majori corpori obversum, hujus excipit duodenum, quod e normali ventriculo, situm perpendicularem referente, solito more sub hepate descendit. Ostium inferius, nullum valvulae pylori vestigium offerens, ad curtum corporis majoris intestinum tenue ducit, quod dextrae majoris curvaturae parti per duplicaturam peritonaei, a posteriore sacci pagina demissam, uti per mesenterium, affigitur et in coecum abit. — Juxta sinistram majoris curvaturae partem, infra cardiam, portio jacet intestini tenuis, in utraque extremitate coeca, quae ibi eundem in modum peritonaeo, magnis glandulis meseraicis praedito, adnectitur. Quae intestini portio tenaci infarcta est muco, reliqua vero intestina et saccus ventricularis liquidum offerunt meconium. Sacci curvaturae minoris longitudo a cardia ad ostium corporis majoris duodeni pol-

licem cum dimidio, circa curvaturae majoris inferiorem partem, maxima sacci dimensio duos pollices et dimidium aequat, et curvatura major media a media minore duos pollices septemque lineas distat. Intestinum tenue, e sacco progrediens, ad coecum usque, octo fere pollices longum, patet; haud procul ab ortu e sacco parvum offert diverticulum verum, circa apicem anteriori sacci paginae peritonaei ligamento triangulari adfixum. Simile ligamentum paulo magis dextrorsum deprehenditur, anteriorem sacci faciem a mesenterio intestini tenuis adiens.

Corporis majoris intestina crassa, ob hepar magis sinistrorsum et retrorsum posita, normae respondent; minori corpori vero omnia propria desunt.

Sub diaphragmate majoris corporis ingens et deforme hepar hypochondrium dextrum, dextram regionem iliacam, regionem alias umbilicalem et cardiacam obsidet, quin pars ejus porrigitur in hypochondrium sinistrum. Facies superior convexa maxima ex parte antrorsum teguminibus abdominis obvertitur, inferior magis retrorsum. Incisurae, fossae profundae et foveae utriusque faciei, inprimis convexae, et peripheriae formam proferunt hepatis salebrosam et lobatam. Fossae profundae longitudinalis ope, quae per utramque superficiem ambit, hepar in duos magnos dividitur lobos, quorum dexter globosior apparet, sinister oblongior, profundius descendit. In anteriore superficie hancce fossam ligamentum suspensorium, a diaphragmate et abdominis integumentis adit, et marginem posteriorem, hic potius superiorem, ligamentum coronarium. Juxta medium marginem sinistrum fossam, seu sulcum, anterioris faciei sinistri lobi magna intrat arteria hepatica, ex mammaria interna sinistra corporis majoris et dextra minoris nata; quae, huic lobo ramos plures tribuens, per eum ad superficiem transit inferiorem, ibique ultra mediam fossam longitudinalem progressa, lobo dextro prospicit. Ubi in inferiore superficie lobi sinistri deprehenditur, minimum emittit ramum anastomoticum ad venam cavam. — Qua ratione ista arteria venam umbilicalem refert, quae nusquam hepar adit. Praeterea in media fossa faciei inferioris longitudinali parvus invenitur arteriae meseraicae superioris corporis majoris ramulus, dextro soli lobo prospiciens, ductus hepaticus, et ad marginem anteriorem, hic inferiorem, vesica fellea, cujus ductus, solito cum hepatico junctus, tanquam ductus choledochus duodeno inseritur. Haud procul a margine posteriore dextro lobo cingitur vena cava adscendens, in quam et venae hepatis et magna vena portarum effunduntur.

Corporis majoris lien et pancreas sua sibi loca vindicant, neque fabrica, neque magnitudine aberrant. Minori tamen corpori et hepar et lien et pancreas plane desunt.

Organa uropoëtica et genitalia majoris corporis nil notatu dignum offerunt, praeterquam quod ren dexter duobus gaudeat ureteribus, prope a vesicae fundo unitis. Testes in canalem abdominalem jam descenderunt.

Corpus vero minus sub diaphragmate duos offert renes succenturiatos, oblonge rotundos, proportionatim majores, quorum sinister, novem lineas longus, quinque latus, corporibus vertebrarum lumborum insidet, dexter, decem lineas cum dimidia longus, quatuor cum dimidia latus, juxta earum corpora jacet; uterque lineae crassitiem refert. Inter inferiores eorum extremitates, ad dextram columnae vertebralis, in pelvi, uno osse innominato conformata, unus deprehenditur ren, fere clavatus, pollicem dimidium longus et duas lineas crassus. Ex inferiore parte tenuiore ureter, lineam cum dimidia longus, ad vesicae collum tendit. Vesica ipsa pyriformis, prope ab insertione ureteris parvam offert prominentiam; porro in crassiore parte superiore, seu fundo, magis antrorsum, urachum tenuem, qui exomphali parietem anteriorem sinistrum, juxta venam, umbilicum adit. Urethra omnino desideratur. Parietes vesicae eum in modum sunt incrassati, ut cavum ejus angustissimum vix detegatur. Diameter vesicae longitudinalis quatuor aequat lineas et dimidiam, transversus maximus duas lineas. Ad utrumque renis latus ambo cernuntur testes, peritonaei gubernaculo muniti, quorum vasa deferentia cum venis et arteriis, ad funiculum unita, ascendunt et coeca terminantur.

Thoracis compages corporis majoris perinde ac ejus organa nihil devii praebent, praeter cor et vasa majora. Nimirum ventriculus uterque cordis, sat magni parietibus gaudet praeter modum crassis, quo fit, ut ejus figura ad rhombum accedat, cujus minus vero latus ortui arteriarum obversum est. Crassities parietum ventriculi dextri majoris duas patet lineas et dimidiam, sinistri minoris tres.

Atrii dextri auricula ob altius prominentem ventriculum dextrum arteriae pulmonalis ortum non tangit, uti solet, sed plane in ventriculi parte posteriore reconditur. Valvulae Eustachii, imperfectae, media pars septo atriorum circa foramen ovale non jungitur. Praeter cordis ipsius venas hocce atrium tres magnae adeunt, nimirum solito more vena cava inferior, et separati ambo trunci venarum anonymi, quorum utervis ante bronchum sui lateris atrium intrat. Dexter nempe, suscepta vena azygea, superiorem petit atrii dextri partem dextram, sicuti vena cava superior, sinister autem per sulcum atrio-ventricularem circa cordis partem posteriorem sinistram decurrit, et super vena cava inferiori, prope a septo, in idem atrium aperitur,

qui decursus venarum serpentibus proprius est. Pulmonis arteria et venae nullatenus aberrant, neque ductus arteriosus Botalli. Ex arcu aortae more solito proveniunt arteriae cardinales, quarum vero subclavia sinistra truncum anonymum magnitudine multum superat. Haec nimirum ingentem emittit mammariam internam, quae, pone sinistrarum cartilagines costarum usque ad processum xiphoïdeum, normales spargens ramos, perforato diaphragmate, cum dextra mammaria interna corporis minoris in magnam arteriam hepaticam, jam descriptam, confluens, hepatis lobi sinistri faciem convexam intrat. — Aorta descendens abdominalis minorem edit coeliacam, quae modo ventriculo et lieni ramos impertit, et meseraicam superiorem, satis magnam, quae, ramis intestinorum tractui commissis, dein arteria exigua hepatis lobo dextro per fossam longitudinalem edita, prope duodenum juxta curvaturam sacci ventricularis minorem decurrit, et cum arteria enterica aortae corporis minoris, coeliacae et meseraicis respondente, in arcum conjungitur. Hoc ex arcu ad saccum rami sat magni demittuntur, quorum duo, in arcum posteriorem collecti, tam sacci parti anteriori et posteriori, quam portioni ad cardiam sitae intestini tenuis, utroque in fine clausi, prospiciunt. Arteriae umbilicales ex utraque hypogastrica corporis majoris prodeunt, nullumque cum arteriis corporis minoris commercium alunt.

In deformi angustoque corporis minoris cavo thoracis cor et duo pulmones exigui deprehenduntur. Oesophagus in posteriore mediastino desideratur, cum pharynx coni inversi formam offerens, pone ligamentum cricotracheale acuminatus, terminetur. Larynx, tracheae amplitudinem altero tanto superans, non pervius est, quod cartilago cricoïdea per conniventiam marginis superioris fornicem profert, cujus paginae superiori sub epiglottide glottidis rima angusta adjacet. Ante laryngem posita est glandula thyreoïdea, subrotunda, non divisa, et infra eam thymus, modicae magnitudinis. A margine inferiore cartilaginis cricoïdeae trachea angustior pone vasa majora et cor in cavum thoracis recta descendit, et ibidem in duos dividitur bronchos impares, dextrum majorem, sinistrum minorem. Infra divisionis angulum oesophagus perinde ac tracheae continuatio incipit et per diaphragma transmittitur.

Pulmonum sinister minimus est, orbiculatus, neque lobatus, dexter major quidem, ob scoliôsin ante columnam vertebralem jacet, parvis incisuris trilobus. Utriusque parenchyma accedit ad thymi parenchyma.

Cor, pericardio circumdatum, maximam thoracis cavi partem explet, neque inter exiguos jacet pulmones, sed ante eosdem, quorum maximam partem obtegit. Fi-

guram offert fere ovalem, parte anteriore magis convexa, posteriore. Mucro rotundatus, deorsum et paulo dextrorsum conversus, solo ventriculo dextro formatur, qui sulco profundo interventriculari jam extrinsecus discernitur, inprimis in superficie posteriore, magis plana, aliquibus praeterea sulcis notata. Cor, duobus atriis et ventriculis munitum, eum in modum fere rectum jacet, ut ventriculorum alter merito dexter, alter sinister nominari possit. Parietum utriusque ventriculi crassities quidem aequalis deprehenditur, sed utriusque cavi magnitudo inaequalis, nam cavum sinistrum obrotundum, vix dimidiam habet dextri, quippe quod usque ad mucronem continuatur. Sinistri ventriculi ostium venosum et ipsum est parvum et valvula mitrali munitum; ostium arteriosum hunc ventriculum plane deficit, sed septi ventriculorum magna superior pars desideratur, ita ut hic immediatum cum dextro commercium habeat. — Ventriculus dexter, amplior, tribus gaudet ostiis, uno venoso, duobus arteriosis. Ostium venosum, retrorsum positum, valvula tricuspidali munitur. Utriusque ostii venosi valvulae margines liberi nodulis insigniuntur miliaribus. Praeter tres musculos papillares, una trabecula, inferne sita, coortos, tendinumque ope valvulis insertos, trabecula nulla detegitur, quo fit, ut interna hujus ventriculi facies non reticulata, sed laevis appareat. — In superiore ventriculi parte ambo ostia arteriosa deprehenduntur, quorum aorticum sat amplum in suprema cordis parte exstat, pulmonale, luminis vix lineam dimidiam excedentis, infra aorticum in anteriore et superiore parte septi perforati, quo loco cum pariete ventriculi coit, situm est. Utrique valvulae semilunares plane desunt.

Atriorum dextrum, triangulare, valde musculosum, omnes excipit venas duobus truncis collectas, sinistrum valde exiguum, ante angulum sinistrum dextri positum, fere auricula sola constitutum, nullam accipit venam, ac per foramen ovale, valvula instructum, cum dextro commercium exercet.

Arteria pulmonalis, quum profundior oriatur, cordis substantia longius obtegitur, indeque ad sinistram aortae ascendit, tum supra cor arcum format, et retrorsum et deorsum recta vadens, ad dextram tracheae supra bronchos in duos dividitur ramos, quorum sinister longe est minor. Ex quovis pulmone vena prodit, quarum minor sinistri pulmonis, pone tracheam et infra arteriam ad dextram transgressa, cum breviore, sed multo majore, dextri pulmonis jungitur. Truncus earum communis, dextrorsum et sursum tendens, in venam azygeam, solito ampliorem, inmittitur, uti nonnulli venae bronchiales in statu normali solent.

Aorta

Aorta ab origine ad dextram tracheae et ad sinistram columnae vertebralis, dextrorsum curvatae, recta fere usque ad laryngem ascendit. Non procul a corde sub clavicula et primae costae cartilagine, quae cum manubrio sterni junguntur, jacet; superioris ejus partis anterior pagina thymo, ibidem collum tenente, obtegitur. Aorta angustior exorsa, sursum mox in bulbum dilatatur, arteriae bronchialis piscium ad instar. Arteriis coronariis cordi in pericardio editis, primo e superiore bulbi parte sinistra, tanquam ex arcu aortae ante tracheam, sinistra carotis prodit communis, vix lineam longa, mox in facialem et cerebralem divisa, quae ambae juxta tracheam ante processus vertebrarum cervicis transversos ascendunt. Dein magis ad dextram, e suprema bulbi parte, oriuntur carotis facialis et pone ipsam cerebralis, quae una sursum ante columnam vertebralem ad dextrum ejus latus oblique transgrediuntur et solita lege disperguntur. Ex posteriore media dextra bulbi parte aorta descendens orditur, juxta sinistram corporum vertebrarum columnae partem in cavitate scoliôsis decurrens. Prope a bulbo eadem ex posteriore parte subclaviam sinistram emittit, quae, ob artus defectum parva, edita vertebrali sinistra, pone tracheam sinistrorsum inter claviculam et costam primam delata, per musculos disseminatur. Infra originem subclaviae sinistrae ortum ducit ingens arteria, continuatae aortae descendenti aequalis, subclaviae maxime respondens, quae plane insuetum offert decursum. Oblique ante columnam vertebralem ad dextram ejus partem e pectore ascendit, ad septimam cervicis vertebram canalem vertebralem intrat, et per interstitium processuum transversorum vertebrae sextae et quintae cervicis, edita arteria vertebrali propria, per canalem longius decurrente, iterum prodit. Dein ad dextram partis suae ascendentis, ad thoracis cavum revertens, descendit et ad claviculae partem internam transgressa, in duos dividitur ramos cardinales, quorum dexter, longe minor, continuata est subclavia, sinister vero, altero tanto major, mammariae internae respondet, quae, pone cartilagines costarum descendens, per diaphragma in exomphalum demissa, cum arteria mammaria dextra corporis majoris ad arteriam hepaticam committitur, uti supra jam posuimus.

Editis arteriis intercostalibus et phrenicis, aorta descendens, per diaphragma transmissa, singulam producit arteriam entericam, coeliacae forsan aequiparandam, quae, aortae continuationem fere quater superans magnitudine, una cum oesophago et utroque nervo vago ad magnum saccum ventricularem descendit, et in curvatura ejus minore cum meseraica superiore corporis majoris sub arcum connubium init. — Aorta abdominalis continuata, ante corpora vertebrarum ad pelvis analogon descen-

dens, ramos edit renibus succenturiatis, testibus, et impari reni, et tanquam iliaca pelvi et artui inferiori manco prospicit.

Arteriae umbilicales corporis minoris desiderantur. —

Vena umbilicalis, sinistrorsum tendens, pone integumenta externa exomphali juxta dextram urachi, cavum angustum abdominis minoris foetus petit et ante vertebram abdominis quartam cum venarum artus inferioris et pelvis trunco ad venam cavam coit, quo connubii loco dilatatio sacciformis deprehenditur. Ad dextrum ejus latus, prope a vena umbilicali, vena major, collectis venis lumborum orta, excipitur, aeque ac altera superne ad sinistrum, ex sinistri lateris venis lumborum nata. Supra dilatationem vena cava deinde, prope a secunda vertebra abdominis, dextrorsum tantum emittit ramum, ut dividi videatur, qui venae azygeae, solito majori, aequiparandus est. Vena cava omnino in parte sinistra per diaphragma egressa, pone pulmonem sinistrum juxta costas ascendit, et, suscepto descendente trunco venarum anonymo dextro, transversim flexa in angulum superiorem sinistrum atrii dextri aperitur.

Vena azygea juxta corporum vertebrarum dextram partem ad thoracis cavum adscendit, et venis intercostalibus receptis, ante aortam progressa, cum venis pulmonalibus jungitur et truncum anonymum venarum dextrum intrat, quo modo alter venarum truncus oritur, qui, sinistrorsum conversus, transversim dextrum superiorem atrii dextri angulum petit.

Vena subclavia et jugularis utriusque lateris sub sui lateris clavicula confluunt in truncum anonymum, quorum, ut repetamus, sinister ad sinistram cordis cum vena cava inferiore coit, dexter cum vena azygea ad dextram supra pericardium.

TABULAE TERTIAE, QUARTAE ET QUINTAE EXPLICATIO.

Tabula tertia.

Monstrum alterum, ante nostram dissectionem a parte anteriore delineatum.

* Adnotare liceat: dissectionem circa exomphalum, priusquam monstrum ad museum anatomicum Berolinense demissum erat, jam tentatam et incisiones iterum consutas esse, sed tam rudi manu, ut plures partes, praecipue peritonaeum et utrumque diaphragma, destructas inveniremus; dein formosissimas facies, loco turpium, naturae et externis injuriis deformium, ex propria imaginationis venula addidisse pictorem.

Tabula quarta.

Monstrum a parte sinistra, elevato corpore minore, propositum. —

Tabula quinta.

Fig. I.

Utriusque corporis abdomen et thoraces, aperta et distenta. Uterque thymus semotus et cor corporis minoris omissum, ut vasorum decursus melius in conspectum veniat.

A. Trachea corporis majoris.
B. B. Pulmones.
C. Interna facies sterni ad latus dextrum sepositi.
D. Hepatis deformis lobus dexter.
E. Ejusdem lobus sinister.
F. Ventriculus.
G. Lien.
H. Duodeni pars, saccum ventricularem intrans.
I. Saccus ventricularis ingens, expansus.
L. L. Intestinum tenue, e sacco proveniens.
M. Ejusdem intestini diverticulum verum, per ligamentum peritonaei anteriori sacci paginae affixum.
N. Simile ligamentum, ab intestini tenuis mesenterio ibidem saccum adiens.
O. Coecum cum appendice vermiformi.
P. Colon.
I. Cor rhomboïdeum.
II. Atrii sinistri auricula.
III. Arteria pulmonalis.
IV. Ductus arteriosus Botalli.
V. Aorta.
VI. Truncus anonymus.
VII. Carotis sinistra.
VIII. Subclavia sinistra.
IX. IX. IX. Mammaria interna sinistra.
X. Eadem dextra.
XI. Arteria hepatica, e mammaria interna sinistra hujus corporis et dextra minoris orsa.
XII. Arteria magna sacci ventricularis, proveniens ex arteria meseraica superiore, arteriae entericae corporis minoris anastomotica.
XIII. Vena cava inferior.
XIV. Venae mammariae internae.
XV. Vena subclavia dextra.
XVI. Vena jugularis dextra.
XVII. Truncus anonymus venarum dexter.
XVIII. Vena azygos.
XIX. Vena jugularis sinistra.
XX. Vena subclavia sinistra.
XXI. Truncus anonymus venarum sinister.
XXII. Nervi vagi.
a. a. a. a. Corporis minoris columna vertebralis.
b. Sternum.
c. c. Claviculae.
d. d. Larynx et trachea.
e. Pulmo sinister.
f. Pulmo dexter.
g. Oesophagus cum nervis vagis, eum concomitantibus.
h. Cardia.
i. Curvatura minor sacci ventricularis inter cardiam et duodenum corporis majoris.
l. l. l. Intestinum tenue convolutum, in utroque fine coecum.
m. m. m. Ambo renes succenturiati.
n. Ren impar.
o. Ejus ureter.
p. Vesica, expansione exomphali per urachum protracta.
q. Urachus.
r. r. Testes.
1. 1. Linea peripherica cordis.
2. 2. Arteria pulmonalis.
3. Aorta ascendens bulbosa.

4. Carotis facialis dextra.
5. Carotis cerebralis dextra.
6. Carotis communis sinistra, prope originem in facialem et cerebralem discedens.
7. Subclavia sinistra.
8. Subclavia dextra.
9. 9. Arteria mammaria interna dextra.
10. 10. Aorta descendens.
11. Arteria enterica, coeliacae magis respondens.
12. Vena umbilicalis.
13. Vena iliaca.
14. Truncus venarum lumbalium dextrarum.
15. Idem sinistrarum.
16. 16. Vena cava inferior.
17. Truncus anonymus venarum sinister.
18. Vena azygos.
19. Truncus communis venarum pulmonalium.
20. Truncus anonymus venarum dexter.

Fig. 2.

Cor minoris corporis elevatum, a posteriore parte delineatum. Atrium dextrum apertum.

a. Ventriculus dexter.
b. Ventriculus sinister.
c. Foramen ovale.
d. Ejusdem valvula.
e. Ostium venae cavae inferioris, cum trunco anonymo venarum sinistro junctae.
f. Ostium trunci anonymi venarum sinistri, qui venam azygeam cum venis pulmonalibus recipit.
g. Aditus ad ventriculum.

Fig. 3.

Ventriculus dexter, juxta septum a parte anteriore apertus.

a. a. a. Valvula tricuspidalis, cujus margines liberi nodulis miliaribus insigniuntur.
b. b. Septum ventriculorum imperfectum.
c. Foramen septi ventriculorum.
d. Ostium arteriosum pulmonale.
e. Ostium arteriosum aorticum.
f. f. Ostia arteriarum coronariarum cordis.
g. Ostium arteriolae cordis.

CURRICULUM VITAE.

Ego Joannes Wirtensohn, Monasterii Guestphalorum, patre Francisco Josepho, fato jam functo, matre Francisca e gente Beyerlé, die XX. mensis Augusti a. MDCCC. natus sum. Per quinquennium in gymnasio, quod in patria urbe Cel. Kistemaker, t. t. rectore, florebat, praeceptore Koenig, viro, ingenio et probitate maxime conspicuo, ultra fata colendo, primis literarum rudimentis imbutus, in album universitatis ejusdem urbis die XVI. mensis Decembris a. MDCCCXV. relatus, studiis philosophicis, theologicis, nec non medicis vacavi. Universitate hac sublata, rerum familiarium gratia a. MDCCCXVIII. Vindobonam missus, Rectore Magnifico, Illustr. Lang, die XXIX. mensis Novembris numero civium academicorum denuo adscriptus, cursum medicum, legibus strictis praescriptum, absolvi. Quo facto in desideratam reversus patriam, a. MDCCCXXII. Berolinum petii, ubi, Cel. Wilken t. t. fasces academicos tenente, die IV. mensis Octobris in album universitatis receptus, ab eo inde tempore sequentes frequentavi lectiones: Illustr. Berends de morbis nervorum, Illustr. Hufeland de morbis chro-

nicis, Illustr. Link de pharmacologia, Illustr. Rudolphi de anatomia pathologica et comparata, Illustr. Rust de chirurgia et akiurgia, Cel. Kluge de arte obstetricia theoretica et practica, Cel. Neumann de morbis psychicis, Clar. Hecker de historia medicinae recentioris, Clar. Wagener de materia medica et medicina forensi, Exp. Jüngken de chirurgia, akiurgia et akologia. Neque defui exercitationibus clinicis, tam medicis quam chirurgicis, quas Illustr. Berends, Illustr. Graefe, Illustr. Hufeland, Illustr. Rust et Cel. Neumann moderantur.

Tentamine et examine rigoroso rite exantlatis, spero, fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in utraque medicina honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Amnii liquor nutritioni foetus inservit.

II.

Imaginationis maternae efficacia, foetus efformationem determinandi, negari potest.

III.

Theoria Hahnemanni medica deleteria est.

IV.

Saepe, si qua intemperantia subest, tutior est in potione, quam in esca.

V.

Venaesectio non solum debilitandi gratia in usum vocatur.

VI.

Medico, hydrargyrum ad syphilidem curandam intus adhibenti, dosibus ejusdem minoribus ludere non licet.

Tab: I






Fig: 2.


f
e
d
c
b
a
b
b

Fig: 1.


30
a
20
17
18
8
9
10
11
19
4
3
26
13
d
5
a
1
6
21
n
12
22
25
2
b
23
13
c
27
1
o
14
24
28
29
e






Fig. 3.

Tab: III.







Müller ad nat. del.

Tab: IV.



F. W. Linger jun. sculp. Berlin 1824.





Fig: 3



L. Müller ad nat. del.

Tab: V.

g:1.




Fig: 2.



F. W. Lenger jun. sculp. 1824.